

velut oracula scientiæ, veluti pietatis cæterarumque sacraria virtutum.

Sed fidelibus suspecta debet esse laus omnis, quæ hæreticos habeat Authores: & uti à probatis viris celebrari honorificum est, sic ab improbis operosius commendari, famæ potius noxium est, quam veræ argumentum dignitatis. Quas hic Quesnellus singulis suis quaqua ratione suffragatoribus Episcopis laudes accumulatur, non est animus examinare, minis verò honorem debitum detrahere. Cardinalem in primis Noallium, ac Benignum Bossuetium Episcopum Meldensem, qui præcipui patroni à Quesnello referuntur, ut par est, veneror: neque in eorum elogiiis hic aliud reprehensum cupio, quam mentem laudantium fraudulentam, qui eos, quos vilipendere, & odisse clam deprehenduntur, palàm blanditiis, atque adulationibus demulceant. Copiosa fallacia istius detegendæ argumenta suffuppetat liber *Causa Quesnelliana* toto Articulo 19. cui titulus: *Quod postquam ipsemet erga Eminentissimum Cardinalem Noallium suum Archiepiscopum summam publicè professus esset venerationem, suosque libros illius emendationi absolutè subiecisset, interim dictum Eminentissimum Dominum literis suis ad amicos scriptis, indignis modis perstrinxerit, & dum libellum eidem Eminentissimo Domino summè injuriosum detestari se simularet, eum ad familiares suos scribens summè laudaverit, tanquam moderatissimè ac nervosissimè scriptum.*

Videri hæc possunt in eodem processu pluribus allegationibus ex Quesnelli scriptis stabilita pag. 423. & sequentibus. Ita scripserat Quesnellus D. Willart anno 1698. 7. Februarii. *Non satis considerat* (Archiepiscopus Parisiensis) *quanta sit culpa in supremo totius ordinis Præfide, qualis est Dominus Antonius à S. Bernardo (idem Archiepiscopus) damnare, & permittere, ut Theſibus publicis damnentur propositiones, velut scandalosa, impia, blasphemæ, qua sunt ipsius Fidei Catholicae, & Ecclesiæ dogmata, quale est propositio Arnaldi, & illius scriptoris quem Generalis iste aggreditur (Archiepiscopus) ut nihil dicam de injuria illata Abbati Seniori, adversus quem conclamatum fuit, ut ejus nomen in ordine rediret odiosum. Sufficere non debet Generali zelus pro observatione Regulae . . . conservanda quoque ipsi in suo ordine est puritas doctrinae, sequæ ejus defensorem apertè, & publicè profiteri debet, omnemque suam defensionem ejus impendere auctoritatem. Si autem non solummodo eam non tueatur; sed deserat, vituperet, damnent, exprimere satis nequeo quanta hæc mihi coram Deo appareat culpa, & quam idonea sit, Constitutio theol. propugn. Tom. I.*

*ut benedictionum cælestium cursum fistat; quam metuendum sit nè DEUS eam gravissimè puniat, & quam propterea necessarium sit, ut qui peccatum in tam sancto, tam sublimi munere commisit, ejus magnitudinem intellectu comprehendat: non indormiscat præconceptæ opinioni, quasi bonum opus præstiterit: oportet oculis prorſus apertis peccatum suum perspiciat, ejus effectus pænitiæ præveniat, humiliando se propterea in hac vitâ . . . Quidquamne tentatum est ad Generalem juvenandum, ut extrahatur è fovea, in quam se præcipitem egit? Non existimo; sed fascinatus manet laudibus, & adulatione, quibus scatent epistola, quæ dicatis ei Theſibus præfiguntur.*

Ad eundem 9. Aprilis ejusdem anni 1698. *Multo magis vereor, nè peccato quod commisit, indignum se reddiderit, ut damnum illatum resarciat: & nè propheta, qui venundatus fuit ad maledicendum populo Dei, non mereatur à Deo adigi ad benedicendum. Timeo quoque, nè Antonius à Sancto Bernardo (Antonius Noailles) nimia pollens auctoritate, in hac causa prævaleat adversus Janſeniani Casus approbatores, & simul nè indignus sit cælesti lumine, qui nullo modo dispositus apparet ad penitentiam.*

Sæpius Quesnellus de Eminentissimo hoc conqueritur, quod anno 1696. *Expositionem fidei Gerberonianam gravibus censuris perstrinxerit, tanquam continentem propositiones respectivè falsas, temerarias, scandalosas, impias, blasphemias, Deo contumeliosas, & derogantes ejus bonitati, percussas anathemate, hæreticas, & temeritate intolerabili instaurantes doctrinam quinque propositionum Janſenii. Censuram hanc, quæ Catholico cuilibet videri debuit æquissima, Quesnellus in epistola anni 1698. 18. Septembris vocat culpam anni 1696. In eadem epistola adversus Archiepiscopum Parisiensem exclamans, Quam, inquit, funestum est Antonio à Sancto Bernardo mutasse stationem! Catalaunensem scilicet Episcopatum cum Parisiensi, in quo ad complacendum Curia, ut Quesnellus calumniatur, Janſenianam hæresim, in Gerberonii Expositione fidei damnavit, quàm in quatuor Quesnelli voluminibus magnificè probasse vilis fuerat. Dialogo veteranum inter, & juniorem Theologum pag. 20. assui debuit lacinia, jubente Quesnello, qua dicitur, Reverè admittendum quod in damnatione expositæ à Gerberono fidei Archiepiscopus se decipi passus fuerit, quod nimium auscultaverit præjudiciis, seu præconceptis in juventute opinionibus, & aures nimis faciles iniqua suadentibus præbuerit. Malo suo directorem conscientia nactus est obſſimatissimum contra Janſenismum. Quem Quesnellus voluisset non alium credi, in Janſenii,*